damnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum
bet.—
jor bonum ex dispensatione oritur.—
à Commutare votum in bonum melius et saluti suae, melius potest.
quis metu, vel gravis mali cavet, valetne?
, quia vovit coactus et non libere.—
uis voveat exterius, et interius non habeat propositum
plendi, valebitne tale votum?
n: quia vovens habet contrariam ~~[illegible]~~ intentionem voto, et
cat mortaliter sic eludendo Deum.—
letne Episcopus commutare Votum Castitatis ad eorum
pus emissum et votum de non contrahendo?
test, et in illis dispensare ex justa Causa, praeser=
~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
conversatione voventium
a dispensans in voto castitatis, dispensatne in toto an tantum
pectu [illegible] ii et actuum ejus?
Minime [illegible] nsat, sed solum in parte se[illegible]

Obrzy pozwanych, ktorzy

iakąś nieprawość uczynili

Ktorzy ~~od~~ kazaiąc pozwanych,

ktorzy sobie iakąś nie prawość

uczynili, teraz gwałtem sprzeciwiali się

za nim, ażeby karą śmierci nie był

karany

M. X. 14.

DISPUTATIO MEDICA
DE
ASCITE,

Quam
Favente Deo O. M.
Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ
Pro Receptione in Eandem
Publico φιλιάτρων examini
sistit

GEORGIUS Rast/ Med. D.
Respondente
MATTHÆO NEUMANN, Med. C.

Ad Diem Septembr. in Auditorio Majori, horis solitis.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆRED.
ANNO M DC LXXIX.

I. N. J.

DISPUTATIO MEDICA DE ASCITE.

§. I.



Mnis, quæ à ratione suscipitur de aliquâ re Institutio, debet à Definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, vetus est sententia Ciceronis *Lib. 1. de Offic:* Itaq; & Nos Opellas nostras hinc auspicabimur, ASCITEN definientes, *quod sit tumor aquosus abdominis à retentione humorum collectorum, vitio viscerum humores aquosos non ritè seperantium & excernentium, proveniens.*

§. II.

Definitum, Ascites, origine est vox Græca, dicta ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, *ab Utre*, quod utris in modum, teste Galeno *IV. Aph. II.* venter inferior ab aquâ inter cutem distendatur & intumescat: vel, quod percussus venter in morem Utris aquâ semipleni resonet, ex mente Valleriolæ *Lib. 5. Obs. 5.*, undè & *morbus utricularis* vocatur Jachino *in Lib. 9. Rhas. comment. 52.*, & *hydrops utricularius* Autori *Definitionum Medicarum* Galeno adscriptarum *p. m. 94.* Observavit tamen Dodon. *Lib. 2. Prax. cap. 66.* vocem Ἀσκὸς apud Græcos etiam corpus humanum seu vivum seu mortuum significare & præcipuè Abdomen, seu ventrem, quem Celsus passim uterum (nisi forte utrem scripserit) appellare solet, ut ita Ascites reduci possit ad illos affectus, qui à parte læsâ nomen sortiuntur suum.

§. III.

Generis loco positus est Tumor. Tumorem quippè esse nemo facilè negaverit, cum viderit excessum in magnitudine p. n. auctâ. Tumorem esse aquosum, dum addimus, excludimus alia tumorum genera, quorum variæ differentiæ dantur, ut videri potest apud Galenum *Lib. de Tum. p. n.*

§. IV.

Vox Abdominis subjectum seu Receptaculum causæ Continentis, colluviei sc. serosæ, indigitat, hoc enim primùm tumere deprehenditur, estq; ea corporis nostri regio, quæ Diaphragmate, ossibus pubis, coxendicis & sacro, lumborum vertebris atq; costis spuriis utrinq; circumscribitur; Quamvis progressu temporis partes quoq; vicinæ, scrotum sc., femora, genua & pedes intumescere etiam soleant. Avicenna inter *Ziphac* & *Zirbum*, Peritonæum & Omentum, Veslingius *syntagm. anat. cap. 2.* inter duplicem peritonæi tunicam humorem hunc colligi putant. Veslingii sententiam observatione singulari comprobat Tulpius *Lib. 4. Obs. 43.* de muliere 110. ℔. aquæ hic continente. Bartholinus *Cent. 4. hist. 25.* notavit colluviem aquarum inter peritonæum & membranam quandam densiorem protensam ab osse Xiphoide ad ingvina usq;, universum inferiorem ventrem tegentem Martin. Bogdan. *Observationum. T. h. Bartholino transscriptarum.* XI. inter abdominis musculorum tunicam & peritonæum Aretæus *Lib. 2. τῶν χρονίων cap. 1.* vesicularum aquâ repletarum, & numerosâ sobole in abdominis cavitate collectarum meminit; unde Sennertus *Med. Pr. 3. part. 6. sect. 2. cap 3. aquam* scribit *interdum non in cavitate abdominis, sed vesicis quibusdam partibus ventris inferioris adnatis includi.* Talem Ascitæ speciem notavit Rolfinc. *Epit. meth. cogn. & cur. particul. corp. affect. Lib. 3. cap. 9.* & Horstius *Lib. 9. Obs. 7.*, qui eam memorabili etiam historiâ ex Cordæô depromptâ illustravit. Hippocrati quoq; notam jam fuisse constat ex *Lib. de intern. affection. XXV. 9.* Quamvis vesiculas has, *hydatides* Medicis dictas, idem quod hydropem esse concedere nolit Kerckringius *Obs. anat.* 10:, licet largiatur, sæpè causas ejus esse posse; Ex hydatidibus enim fieri hydropem, & quidem tunc, quando rumpuntur; confirmat sententiam suam, *se variis* dicens *in locis, hydatides reperisse, ad dextrum nimirum testiculum puellæ sex mensium, in plexu choroide, ad venas in Parenchymate hepatis, nonnunquam ad arterias, quas tamen hydropes istarum partium nemo facilè diceret.*

Nos,

Nos, quicquid hujus sit, omnem abdominis cavitatem ab aquâ occupari eandem etiam ad scrotum & pedes descendere αὐτοψίᾳ comprobatum novimus.

§. V.

Cur verò frequentius in abdominis, quam in ceteris corporis nostri cavitatibus aqua colligatur, Hieron. Capivacc. *Lib. 3. Pr. cap. 19.* tres reddidit causas. (1) Imbecillitatem partium Abdominis. (2) Propinquitatem partis affectæ (quam hepar esse putat) (3) Minus detrimentum. Addiderunt alii numerosam arteriarum atq; venarum sobolem nullibi tam copiosè quam hic luxuriantem, ad quam, cum serosus humor suâ gravitate vergit, quantitate vel qualitate molestus, eum oscula vasorum facillimè reserare vel tunicis eorum distentis atq; laxatis copiosè in Abdominis cavitatem destillare. Nobis probabilior videtur hæc rei hujus ratio: quod, quia in abdominis regione continentur organa segregationi & excretioni humorum à naturâ dicata, v. g. Hepar, lien, pancreas, venæ & arteriæ emulgentes, renes, ureteres, vesica urinaria, vasa item lymphatica, hæ partes vel obstructæ, vel alio correptæ vitio, officio suo non satagentes, aquam inibi redundare faciant.

§. VI.

Ex his haud obscurè colligi quoq; potest, cujus præcipuè partis vitio hic humor in infimo ventre confluat; quâ de re cum tot prostent apud Artis Medicæ Antistites diversa judicia, certè non minimæ esse difficultatis putamus, rem acu hic tangere velle. Hepar, ut erat quondam maximæ dignitatis viscus, dum sanguinem credebatur conficere, & per venas alimentum distribuere; ita plurimos quoq; Veterum in hanc opinionem transversos rapuit, quasi haud quaquam fieri posset hydrops, nisi hepar fuerit affectum; inter cujus opinionis defensores eminent Galenus *V. de Loc. Aff cap. 7. VI. de Loc. Aff. cap. 1*, & Aëtius *Tetrab. 3. serm. 2. cap. 20.* Quamvis & hi non semper necessarium judicârint, ut per essentiam in omni hydrope jecur afficeretur, principio affectionis in ipso existente, verum sufficere, si per consensum aliarum partium patiatur. Rem secus se habere plurium hoc morbo defuncto-

functorum Anatomiæ manifestò declararunt, dissectis hydropicorum cadaveribus hepar sæpè inculpatum monstrantes, vid. Barthol. *Cent. 1. Hist. anatom.* 2, Horst. *Lib. XI. Obs. 5.* Plater. *Obs. lib. 3.* Helmont. *Tr. Ignotus Hydrops. 11.* si tamen corruptum non nunquam inventum est, factum id potius est putandum ab aquâ putridâ in abdomine prius collectâ & aliquandiu ibidem reservatâ. Hipocrates præter hepar lienem accusat 1. *de Morb. Mulier LXXXVII. 11. & Lib IV. de Morb. XXXIII. 6. Prognost. VIII. 3.* alias adhuc insimulat partes, dum, ἄρχονται, inquit, οἱ πλεῖστοι ἀπὸ τῶν κενεώνων, καὶ τῆς ὀσφύος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος, *incipiunt, plerið; hydropes à laterum mollitudine, & à lumbis, aliqui vero etiam ab hepate;* ubi Rolfinkcio Commentatore *Epit. method. cogn. & cur. affect. partic. Lib. III. cap. 9.* per nomen τῆς ὀσφύος intelliguntur *venæ,* per τοὺς κενεώνας, *lien, mesenterium, uterus. Coac. Prænot, 276. meminit tantùm* τῶν κενεώνων καὶ ἥπατος, *laterum mollitudinis & Hepatis.* Neotericorum non pauci, quos inter Cl. Rolfinkcius *Epit. meth. medend. affect. partic. Lib. III. cap. 9.* cor ejusq; vitiatam sangvificationem incusant; verum & horum sententiæ subscribere nondum possumus, cum hactenus nobis non licuerit esse adeò felicibus, ut cor in hydropico læsum â quopiam adinventum & observatum legerimus; meminit quidem Platerus *Obs. Lib. 3. p. m. 597.* Adolescentis Ascitici, in cujus dissecti cordis medio os tribus articulis constans, cavum, & arenosâ quadam materia repletum fuerit inventum, simul tamen addit, hepatis, lienis, renumq; vitia Asciticis Consveta adfuisse, quibus dubio procul culpa omnis accepta ferenda, non verò affecto talitèr cordi. Neq; etiam videmus, quâ ratione obtineri queat ex solâ generatione humorum aquosorum oriri Asciten posse, quia omnes hi humores, quamvis aliquot eorum generarentur amphoræ, si modò ritè fungantur officio suo partes excretoriæ, peracta separatione excernerentur. atq; ita Ascites præcaveretur. Lucem fœnerari sententiæ huic potest Monialis cujus meminit Dygbæus *Tr. de pulv. symp.*, quam penes licet in tantâ humor serosus colligeretur copià, ut quotidiè ducentas ferè libras aquæ per urinam excerneret, immunis tamen ab Ascite mansit solius largioris mictionis beneficio.

ficio. Hectici etiam, quorum carnes omnes sensim in humores liquantur, hydropici tamen non fiunt, quoniam vasa eorum excretoria humores hos tum per urinam copiosiorem, tum diaphoresin continuam ejiciunt. Stat ergò sententia, non adeò viscera humorum generationi dicata, quam ea, quæ humoribus aquosis separandis excernendisq; à naturâ destinata sunt, in culpâ hic esse; Quod & ipse Galenus largitur *Lib. III. de Sympt. caus. cap. 2. renes*, inquiens, *ubi serum amplius trahere non possunt, in ventrem mittunt & toti corpori id partientes subitaneos hydropis status producunt.*

§. VII.

Causa molestissimi affectus proxima & continens est humoris aquosi copia, abdominis cavitatem præter naturæ Leges replens, dum nimirum vitiatis viis, ejus excretioni dicatis, licet etiam non adeò magnus ipsius fuerit proventus, ob denegatam tamen evacuationem sensim atq; sensim in abdomine cumulatur. Non tamen omninò exclusos hic volumus flatus, ut qui ad ventris distensionem suam quoq; conferunt symbolam, cum, ut benè monet Sennertus *Lib. III. Pr. Medic: part. 6. sect. 2. cap. 3.* & Hofmannus *Institut. Med. lib. III. cap. 27. nunquam Ascites sit sine flatibus, nec Tympanites sine aquâ, sed invicem semper misceantur hæ materiæ: Denominationem autem Affectum sortiri ab illâ, quæ quantitate excedit & Dominium tenet.*

§. III.

Viæ, per quas in abdominis cavum humor penetret, esse queunt vasa sangvifera per omentum mesenteriumq; dispersa, imò & ipsa lactea lymphaticaque quæ ex mente Willisii *Pharmaceut. Ration: part. 2. Sect. 2. cap. 3. p. n. 157. aut, quod juxta origines suas obstructa, vel compressa, humorem*, (qui per arterias unà cum sangvine ad partes delatus erat & nutritioni non necessarius per lymphæ ductus ad excretoria viscera deferri debebat) *non excipiunt, aut circa medietates aut fines disrupta, eum in aqualiculum profundunt.* Transitum aquis his quandoq; concedunt etiam membranæ hepatis in hydatides sæpè fatiscentis raritas aut ruptio; Renum

item

item & ureterum exulcerationes ac erosiones, ut videre est apud Platerum. *Obs. lib. III. p. m. 601.*

§. IX.

Causæ mediatæ proximiores, in quarum nimirum potestate est corpus humanum de statu naturali præcipitare in præternaturalem, quæq; ad collectionem serosi humoris faciunt, sunt. (1.) Intemperies secundum multos frigida, nonnullos calida. Magnæ hic Medicos inter disceptationes, dum quidam prô calidâ, quidam prô frigidâ mordicus pugnant, ut videre est apud Horstium *Probl. θεραπευτ. dec. 7. quæst. 7.* Hoffmann. *Institut. Med. lib. III. cap. 67. §. 7.* Nos & calidam & frigidam ad Ascitæ productionem quid conferre judicamus, quatenus sc. intemperies hæ excretoriorum organorum κρᾶσιν pessundant & ad officium suum reddunt inepta. (2.) Mala viscerum conformatio, dum meatus, per quos aqueus humor transire debet, obstruuntur, vel comprimuntur. (3.) Unitas soluta vel per ulcus vel rupturam vel vulnus facta.

§. X.

Causas Mediatas remotiores ex Rebus Naturalibus quidam agnoscunt ætatem certam certumq; sexum. Ita nonnulli viros frequentius affligi hoc morbo asserunt, quidam contrà fœminas: Ætatem nonnulli insimulant, dum alii adolescentis, alii consistentis, alii senilis ætatis homines magis in hunc affectum proclives dicunt. Nos nullum vel ætatis vel sexus ratione agnoscimus discrimen, sexui enim utriq; omni etiam ætati commune est malum, nec embryonibus quidem parcens.

§. XI,

Ex Non Naturalibus productioni Ascitæ faven (I.) Aër frigidus, multâq; exhalatione humescens, qualis ut plurimum est tempore Autumnali undè & Aphoristes *III. Aph.* 22 aquas inter cutem ad Autumnales morbos refert. Calidus aër hydropis etiam causa esse potest, in quantum calorem partium nativum dissolvit ac dissipat. (II.) Cibi potusq; frigidi & humidi usus frequentior. *Bibentibus palustres, stabiles & lacustres*

aquas

aquas hydropes fiunt plurimi & lethalissimi, Oraculum est Coi *de Aër. Aqv. & Loc. XI.* (III.) Somnus & vigiliæ, quæ si excedant, ut ille corpus reddit torpidum, & excrementa vaporosa conservat, ita hæ Spiritus partiumq; corporis vires dissolvunt, cruditatesq; cumulant. (IV,) Motus & quies, immodica: hæc excrementa cumulando caloremq; innatum obtundendo; Ille, spiritus vitales exhauriendo. (V.) Excreta & Retenta non ritè se habentia. Retentio excernendorum, v. g. suppressio hæmorrhoidum in plethoricis periculum aquæ inter cutem minatur *VI. Aph. 12.* Sic legimus apud *Dion. Cassium* Trajanum Imperatorem ex retentione hæmorrhoidum hydropicum factum & mortuum. Confer Forest. *lib.* XIX. *Observat. 39.* Plater. *Obs. lib. 3. p. m. 612.* Excretio retinendorum mater sæpè hydropis: Ita ex *Hæmorrhagiâ narium* Schenckius Observ. IX. lib. III. *hæmorrhoidum*, Galenus *II. Facult. Nat. cap. 8.* asciten observarunt.

XII.

Ex rebus Præternaturalibus, v. g. Febribus, *tertianâ* & *quartanâ*, Ascites observatus est Langio *Lib. 1. Epist. Obs. 48.*, Foresto *lib. 19. Obs. 29. 30,* Horstio *lib. 4. Obs. 31.* Ex *causo* Hippocrati *VII. Epid. XIII. 9.* Fr. de la Böe Sylvio *Id. Med. Pr. lib. I. cap. 17. §. 9.* Ex *Mensib9 suppressis* Foresto *lib. 19. Obs. 34.* *Ex mensiū profluvio* Riverio. *Cent. III. Obs. 33.* Helmont. *Tr. Ignotus Hydrops. II.* Ex *Ictero* Foresto *lib. 19. Observ. 40.* Tulpio *lib. 2. Obs. Med. 36.* Willisio *Pharmaceut. Ration. part. 2. Sect. 2. cap. 3. p. m. 156.* Ex *Lue Venerea*, B. Tim. von Güldenklee / *lib. 2. Epist. 15.* Ex Dysenteria, VI. *Aph.* 13.

XIII.

Differentiæ commodè petuntur (I.) ab ipso Genere in Definitione affectus nostri posito, *Tumore* sc., cujus ratione Ascites alius est minor, alius mediocris, alius maximus. Maximus dubio procul ille fuit, qui deprehensus est in duobus Rabbinis, quos Neander in *Erotematibus S. Linguæ Hebr.* ex Talmudistis adducit, quorum abdomina in tantam extensa fuisse molem scribunt, ut duo boves, si ventribus se invicem Rabbini isti tangerent, nemem attingendo transire potuerint; Nisi hyperbole hic subsit, fabulas

bulas Judaicas ſapiens. (II.) Ratione *Generationis*, alius lento pede accedit, ac ſenſim ſumit incrementa; alius ſubitò invadit (III.) Ratione *Durationis*, alius recens eſt, isq; adhuc in fieri alius inveteratus ac jam in ſtatu. (IV.) Ratione *Symptomatum*, alius mitis, alius maximis doloribus ſtipatus; alius cum febre, alius ſine febre. (V.) Ratione *Subjecti*, alius univerſalis, qui totam abdominis implèt cavitatem, alius particularis, quando in uno tantùm abdominis latere aqua intercluſa reperitur, qualem notavit Bartholinus *Hiſt. Anatom. Cent. I. Hiſt. 2.* (VI.) Ratione *Cauſæ*, alius vitio renum, alius vaſorum Lymphaticorum &c. factus.

XIV.

Signa Aſcitæ licet ſint *μέγιστα καὶ ῥήιστα ἰδεῖν καὶ θιγεῖν καὶ εἰσακοῦσαι, notæ maximæ & viſu & tactu & auditu facillima*, ut Aretæi ſonant verba, paucis tamèn & de his agere ordo à Medicis receptus jubet. Et certè danda eſt opera ſedula ùt præſentia morbi hujus exactè cognoſcatur, ne nonnunquam tumorem prægnantis pro hydropico curemus, cujus rei hiſtoriam lepidam recenſet Paulus Renealmus *Obſ. 146.*; imprimis, cum innuptis, compreſſu gravidis, ſi abſcondere ſe nequeunt & clam parere, familiare & promptum ſit, ſeſe profiteri hydropicas, à quibus tamen differre deprehenduntur, quod hydropicis ad Diaphragma usq; tumor protendatur, prægnantibus verò nunquam epigaſtricam regionem occupet, niſi quandoq; in alterutrum tantum latus declinet; nulla quoq;, ut in aſcite, impreſſa retineat veſtigia. Urinæ etiam prægnantium raro non ſanæ aut ſanorum proximæ ſint, præſertim juniorum; minimè verò tales Aſciticarum: In Aſcite quoq; fluctuationes excitentur, & auditu facilè obſerventur, humore, qui in abdomine veluti in utre quodam continetur, circumvoluto. Præterea Aſcites diſcernitur à *Tympanite*, quod hic venter percusſus tympani ſono haud diſſimilem edat, inteſtinaq; ſemper murmurent: ab *Anarſacâ*, quod hic totum corpus æqualiter intumeſcat, veſtigiaq; impreſſorum digitorum aliquandiu ſervet, venter verò non in adeò magnum tumorem excreſcat. Tumorem ex ſuppreſſione menſium ortum ab Aſcite urina diſtinguit, quæ ſup-

preſſis

pressis mensibus copiosa & crassa mingitur, teste Hippocr. *I. Morb. Mul. IV. 8.* Hydropicis plerumq; pauca & rubra, nonnunquam etiam cruda & aquea. Comitantur insuper hunc morbum cibi fastidium, sitis inexplebilis, respiratio difficilis, tussis sicca, raucedo, facies pallore fœda, tabes partium superiorum, scroti pedumq; tumor.

XV.

Prognosis suspecta hic semper & mali ominis formari solet. Omnium verò optimè de eventu affectus hujus judicabit, quicunq; ad constitutionem ægri morbiq; violentiam respexerit, viribus naturæ & morbi inter se comparatis. Quippè naturæ vires, si fuerint validæ & undequaq; constantes, ut facilè contemnunt quodcunq; morbi genus, & in quantumvis magno affectu, securitatem tamen promittunt, ita & heic spem haud exiguam salutis & convalescentiæ spondebunt. *II. Aph. 33.* Quantò contra ab isto vigoris robore atq; tenore abscesserint longius, tantò abs suis morbis ægrotos passuros gravius & victum iri facilius, indicabunt. Constabunt autem naturæ vires ex ægri robore, juventute, respiratione liberâ; tussis, febris, & doloris absentiâ, corpore æqualiter tepidô neq; circa extrema colliquatô, nec diuturnis morbis attritô. Hoc modo ægro constituto, *ἐν ἐλπίδι ἔσαι περιγινέσαι, Spes erit, ut superstes evadat, ὅς δέ ἄν τέτων μηδὲν ἔχῃ, ἀλλὰ τὰ ἐνάντια, ἀνέλπισον ἐόντα εἰδέναι, qui verò nihil horum habuerit, sed contraria, eum desperatum esse scito.* Hippocr. *II. prædict. XI. 27, 28.*

XVI.

Atq; ita consideratis breviter, quæ ad affectus propositi naturam & cognitionem faciunt, restat ad ejus curationem, ut nos conferamus, innixi medendi methodo ex indicationibus dependente. Cumq; sublatâ causâ, effectus non difficulter cesset, omni machinâ erit incumbendum, ut (I.) Causa tumoris continens, Humor sc: serosus in cavo abdominis contentus, educatur. (II.) Antecedentes causæ, quarum vitio Serum in abdominis utero præter naturam confluit & colligitur, removeantur.

XVII.

Utrumq; obtineri poterit instrumentis auxiliorum ex usitra-

tis tribus fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico, depromptis.

XVIII.

Omnibus verò medicamentis efficacius auxilium Chirurgia cum præstet, teste Aetio τετραβίβ: *III. Serm. 2. cap. 30.* ab ejus operationibus meritò etiam initium faciendum erit. A venæsectione verò parùm vel nihil levaminis in hoc affectu sperant plurimi; & licet veteres Medici sæpè venæsectionem celebrasse legantur, non tamen id in omnibus promiscuè individuis fecisse putandi sunt, sed tantùm in illis, quibus à suppressione aliquâ sanguinis, cum naturæ levamine extra corpus effluere soliti, hydrops fuerit subortus. v. g. ex mensibus & hæmorrhoidibus subsistentibus. Ita locum quoq; haberet venæsectio, si quis morbus acutus, v. g. Pleuritis, Angina, &c. hydropem comitaretur. Sacrificationes plurimi quoq; rejiciunt, leve emolumentum has præstitisse experientiâ edocti; habet tamen duas historias Rolfinck. *Method. Med. spec. Comment.* ὡς ἐν γένει, *lib.* IV. *Sect.* IV. *cap. 9.* de satis felici scarificationis crurum successu, gloriantes. A vesicatoriis & cauteriis ut abstineamus, monent passim Practici; rationes, quibus persuasi, ea rejiciunt, collegit Rolfinccius *Method. medend. special. consultat.* ὡς ἐν ἀτίμῳ *p. m. 795.* Peracentesin multi summis encomiis evehunt, in ejus legitimâ administratione unicam salutis spem certò consistere existimantes. Operatio hæc ut est antiquissima, quemadmodum patet ex Hippocr. *de Loc. in hom.* XXXVI. 16. *de Affection:* XXII. 25. *de intern. Affection:* XXV. 25. Ex Celso *Lib: 7. c. 15.* Ita omnes ferè recentiores & excellentiores Medici citò & intrepidè ut administretur ὁμοθυμαδὸν suadent. Nos eam, nisi spes affulgeat, debellari posse hoc malum levioribus auxiliis, magni quoq; facimus, tanquam præsentissimum remedium, modò circa administrationem ejus accuratè observentur, quæ habet Hippocr. *de intern. Affection:* XXV. 27. & VI *Epidem.* VII. 62. Operationis modum, ut & locum, qui pertundendus, licet brevissimè, accuratè tamen satis delinearunt Joh. van Horne Μικροτ. *p. 99. 100. 101.* & Scultet. *Arm. Chir. part. 1. Tab. 38. fig. 2.*

XIX.

XIX.

Pharmacia varia remedia juxta ordinariam vulgatamq; Medicinæ Praxin pro Hydragogis habita ſubminiſtrat, evacuationem humorum per Catharſin, per Diureſin, per Diaphoreſin, perq; inſenſilem transſpirationem molientia.

XX.

Catharſin ἄνω moliuntur *Gummiguttæ*, *Eſula*, *Hercules Bovii*, *Pilulæ lunares*, quarum Deſcriptionem communicat Willis *Pharm. Ration. part. 2. Sect. 2. cap. 3. p. m. 161.* Recenſita hæc vomitoria licet nonnullis tanquam ſummè proficua laudentur; Licet etiam Foreſtus *Lib. 19. Obſ. 32.* habeat hiſtoriam Hydropici vomitu curati, mihiq; vomitionibus, cumprimis in mari inſtitutis, hydropem propulſum fuiſſe narrârit Dn. Dœbelius P. P. Med. in Acad. Roſtoch. Cl., magnâ tamen hìc opus cautione, neq; de vomitoriis cogitandum, niſi & virium robur & humores ſuâ ſponte ſurſum vergentes, propenſioq; ad vomendum ea ſvadeant.

XXI.

Catharſin κάτω promovent *Mechoacanna*, *Jalappa*, *gummiguttæ*, *Soldanella*, *gratiola*, *Sambucus*, *Ebulus*, *Fl. Perſic. Elaterium*, ☿*rius Dulc.* ☿*rius cum* ☉ *præcip. Hartmanni*, *Crocus Metallorum*, *Turbit Minerale &c.*, ex quibus ritè præparatis multa tum Officinalia, tum Magiſtralia crebrô ſunt in uſu. Formulæ remediorum paſsìm & faciles ſunt repertu in Practicorum Libris, iis capitibus, quibus de Hydrope agunt, unde nullo negotio depromi poſſunt. Obſervarunt tamen Practici, non tantum emolùmenti purgantia in curando Aſcite præſtare, quantum vulgò creditur, præſertìm ubi is fuerit conſummatus, & aqua in abdominis cavitate jam fluctuet; neq; enim rationi congruere videtur, poſſe has aquas in vaſa retrogredi per eorum oſcula, quæ excernendis tantùm, non verò imbibendis humoribus à naturâ apta ſunt fabricata. Vires etiam utplurimum debiles, fortiora iſta purgantia, quibus communitèr utuntur, non ferunt; hinc utplurimum obtinet illud Perſii *Satyr. 3.*

Helleborum fruſtra cum jam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas.

Quatenus tamen ſerum in cavitatem ventris ulterius elapſurum, evacuant, non penitus improbanda.

XXII.

Diaphoreſin, Diureſin, inſenſilemq; transſpirationem quæ adjuvant Medicamenta, magno itidem numero proſtant in Libris Practicorum, ut propterea operæ pretium non videatur eorum prolixiore transſcriptione pagellas has implere. In delectu illorum temperatiora meritò præferimus.

XXIII.

Ceterum accuratam conſiderationem merentur, quæ circa uſum horum omnium annotavit vir Stupendi Judicii Williſius *Pharm. Ration. part. 2. Sect. 2. c. 3.*, ubi cuncta hæc remediorum genera rarò prodeſſe, obeſſe frequentius non dicit tantùm, ſed etiam probat; rejiciens inſuper *balnea, fotus, linimenta*, ut quæ laborantibus in deterius ſemper cedant; Sc. in quantum Sangvinem agitatum & fuſum, ſerum copioſius in ventrem deponere faciunt, quinimò & vaſorum ora magis laxant aperiuntq; ut aqua è maſsâ ſanguinea abſcedere apta, promptius exſtillet. Remedia cum fructu hic exhiberi ſolita illi ſunt ſoli *Clyſteres* & *Emplaſtra*. Clyſteres, quatenus absquè ſangvineæ maſſæ fuſione ſerum è vaſis & glandulis inteſtinorum ac Meſenterii proliciunt, quæ ſic inanita lymphas extravaſatas aliquantulum imbibunt, fibras etiam inteſtinales vellicando ſerum à ſangvine imbibitum, aut in eô prius contentum verſus renes prolectant. Clyſteris formula, quâ ille uſus ſæpè feliciſſimè, talis eſt.

℞. *Urin. Homin: ſani vinum bibentis* ℔j.
Terebinth: Venet: c. vitell. ovi ſolut. ℥jß.
Sal. Prunell: ʒjß. *Fiat Enem:*

Emplaſtra proſunt, quatenus virtute quadam reſtrictiva & confortativa viſcera corroborant, vaſorumq; ora, ne ſeroſitates exſpuant nimis, conſtringunt; Commendatur in hunc finem *Emplaſtrum de bacc. laur. Diaſaponis, &c.*

XXIV.

Diætam exactam ſtrictamq; uno ore injungunt hic omnes, cum

cum vix effatu quid dignum remediis etiam præsentissimis] effecturus sit Medicus, nisi æger exactissimam simul victus rationem observet. Nos satis commodam putamus quam præscribsit Præceptor *V. Epidem. XXVII.3.* his verbis: ὑδρωπιώδεα δέον ταλαιπωρέειν, ἱδροῦν, ἄρτον ἐσθίειν θερμὸν ἐν ἐλαίῳ, πίνειν μὴ πολὺ, λοῦεσθαι κατὰ κεφαλὴν χλιηρῶς. Οἶνος δὲ λευκὸς καὶ λεπτὸς καὶ ὕπνος ἀρήγει. *Hydropicum laboribus fatigari oportet, sudare, panem edere calidum oleo intinctum, non multum bibere, caput tepidè lavari. Vinum autem album, & tenue, & Somnus auxiliatur.* Merentur legi, quæ ad hunc textum annotavit Doctiss. Foësius. Conferri etiam possunt, quæ habet Hippocrates *de Affection.* XXIII. *15. de victu acut. LXII.3. Nos filum hic abrumpimus, DEO O. M. pro omnibus, quibus affecit nos hactenus beneficiis gratias agentes, quas possumus maximas.*

Illi sit Laus, Honor & Gloria in secula!



quesit… [illegible] utilitatis publicae, vel Ecclesiae … postulandi
…ra potestne dispensare sine Causa?
…Potest, non vero Episcopus: quia est supra jus
commune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
dispensaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
facto cum ipso dispensat. — in confessione ad …

et S. Bernardus:
Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est.
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est.
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est.

quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe casus remanet reservatum. —
causa parentum. —